



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Sextodecimo Kalend. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

studio pro Ecclesia Dei semper potuisse laborare : inter quas familiaris erat illi , inquietum illud malum, podagra, qua sapissimè grauius valde cruciabatur. Certè, inquit Baronius, si numerandos suscipias sanctitate celebres homines qui podagræ morbo afflictati sunt, copiosum conficies catalogum. Quò redarguas eos, qui voluptuosos ex podagræ doloribus arguunt homines. Ad B. Olympiadis nuptias vocatus Gregorius Nazianzenus, dolore podagræ excusat se fuisse impeditum. eadem grauius vexatus fuit S. Leander Hispalensis Episcopus S. Gregorio admodum familiaris, alijque quàm plurimi, & quàm sanctissimi.

*Sextodecimo Kalend. Aprilis.*

17.  
Mart.

Niuigellæ in Brabantia S. Gertrudis virginis, quæ clarissimo genere orta, despiciens mundum, & toto vitæ suæ cursu in omnibus sanctitatis officijs se exercens, Christum sponsum in cœlis habere meruit.

Vide cap.  
48. Apot.  
Spir. fol.  
243.

**I**Ta Martyrologium Romanum, quod meritò eam dicit clarissimo genere ortam, nam patrem habuit Pipinum Landensem, quem primum Ducem Brabantiæ, ex Maiore-domus Franciæ nuncupant. Dixi in Apotheca mea, solere maiores nostros aquam ex puteo eius haurire, eaque contra mures, domos & agros suos aspergere: idem cum fructu fieri consuevit Augustæ Vindelcorum, per cineres ex tumulo S. Vdalrici Episcopi desumptos, vt Marcus Velferus in notis ad illius vitam obseruauit.

Porro sunt & aliæ in Belgio nostro huius nominis & sexus Sanctitatis opinionè celebres, vt Venerab. Gertrudis Oistensis, Delfis in Hollandia Beggina, quæ ob singularem erga Christum passum pietatem, eius stigmatibus insigniri meruit, obiitque ibidem anno 1358. cuius encomium extat in fasciculo temporum ad an. 1374. & in vernaculis Hollandiæ chronicis. item S. Gertrudis Adalbaldi Ducis Duacensis auia, quæ post mortem Rigomari coniugis sui monasterium in Hamatico ædificauit, cui ipsa præfuit, & vbi anno 655. viuere desijt. translata postmodum ex Hamaticensi Cœnobio, ad Marchia-



Marchianense S. Rictrudis, vnâ cum S. Eusebia eius pronepte, quam educauerat & in regimine succedentem habuit. Sororem æquè Sanctam, nostra Gertrudis habuit, Beggam nomine, Abbatissam Andenensem; à qua nonnulli volunt esse dictas, quas hodie Begginas vocamus. Licet alij à Lamberto Beguio, pio Sacerdote Leodiensi, qui vixit anno 1170. eas deriuent. de qua re, vide Miræum in Chronico Cisterciensi.

*Octauo Kalend. Aprilis.*

25.  
Mart.

Annuntiatio Beatissimæ virginis Dei genitricis  
Mariæ.

Vide cap.  
11. Apot.  
Spir. fol.  
78.

**S**aluberrimum medium, & gratissimum obsequium ad promouendam sibi huius virginis tutelam contra pestem, erit, si frequenter eam hoc die salutemus eximia illa salutatione, qua hodie ab Angelo salutata fuit. Licet enim omni die saluatio angelica ei sit acceptissima; hodie tamen magis quàm aliàs; sic enim gaudium illud magnum quo tunc affecta fuit, ei reficamus, & gratulatorio quasi modo singularem illam prærogatiuam, qua in Matrem Dei est electa, ex parte nostra confirmamus, & ratam ac firmam vouemus. Neque dubitandum quin toties à nobis deuotè salutata, per impetrationem gratiæ resalutabit, & pro tot, *Aue*, vnum nobis dicet infirmis, *Vale*.

Agebatur autem olim in multis Ecclesijs hæc solennitas, 15. Kalend. Januarij, ea nimirum ex causa quod Quadragesimæ tempus (in quam ordinariè incidit) luctui potius & mœrori deberetur, vt apparet ex Concil. Laodicensi c. 51. idque Toletana Synodus decima, in Hispania faciendum esse indixit can. 1. quod etiam in alijs Ecclesijs agi consueuisse testatur. atque inde puto remansit consuetudo, vt circa ea tempora, vbique fere in Ecclesijs celebretur hoc mysterium, cum Missa quam vocant, De gulde Misse, id est, Missa Aurea. In Ecclesia verò Toletana vocatur, Festum Commemorationis Domini-cæ Annuntiationis, siue, Expectatio partus virginæ, vel, *Neustra Señora de la o*, vt fuse & pulchrè ostendit Illephonsus Giron Dominicanus Presentatus; qui & addit, hac ipsa nocte S. Ildesum Episcopum Toletanum ob susceptam defensionem aduersus hæreticos Dei genitricis

Baron. in  
Mart. ad  
25. Mart.

In præp.  
concion.  
festiual.